



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm  
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post  
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.  
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

**Quaranta, Stefano**

**Venetiis, 1619**

|

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10793**

& seq & de orat. & horis canon cap. 7. num. 31 & infra, & in conf. 22. & 14 de celebr miss in antiq Symanc. de cathol institut titul 9. num. 208. Ignat. Lopez, ad Diaz. in pract crim. can. cap. 53. auctor. Cateches. Neap. lib. 4. a cap. usque ad. 7. Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 2. cas. 429. iunctis his, quæ dicit in addit. nouissime impressis ad præd. casum. 429. quo in loco non admittit, nec recipit opinionem Nauar. (in quam fere omnes conueniunt) asserentis clericum omittentem recitare horas canonicas intra primos sex menses a die habiti beneficii non teneri ad fructuum restitutionem licet mortaliter peccet. ipse tamen conclusiue tenet quod cum primum quis habet beneficium quacunque horarum omisso illum ad fructuum restitutionem obligat & mouetur ratione, quia tales fructus dantur loco mercedis operæ & laboris, ut habetur Numer. 318. ubi Filius Leui dedit omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo faderis, & qui non laborat non manducat. 2. Thessalonic. cap. 3. & tunc an ipse clericus possit se componere cum suo episcopo, & superiore pro hac pœna ad eius arbitrium, & voluntatem adde Sor. loc. superius citator. qualiter vero illa rata fructuum de qua in Constitutione Pij V. sit restituenda scilicet an pro aliqua parte vel in totum vide Card. Toled. in sum. lib. 2. sub cap. 12. & Henriquez in sum. lib. 13. de excommunic. cap. 13. sub num. 2. & ut cessent pœnæ de quibus in prænar. statutis quæ sint in ista causa excusantes recitatione horarum post Nauar. in man. cap. 25. num. 100. & seq. & latius illas discutientem de orat. & hoc canon. cap. 11. per totum breuiter & sub compendio illas recensent Menoch. in præalleg. addit. ad casum 429. & Toled. in præd. lib. 2. cap. 14. sub rubr. de causis excusantibus ab officio persoluedo & de tempore horarum canonicarum adest insignis tractatus Marcelli Franco lini presbyt. & Doct. Bodiani.

Præterea sciendum est, quod Sacra Congregatio censuit canonicos collegiata omnino esse ad residendum, atque ad horas canonicas statis horis recitandas compellendos nisi collegiata esset ruralis ac desinituta, in qua antea nunquam supra memoriam solitum sit residere. & canonicos non habentes aliumde unde uiuant alere non posset, & nisi huiusmodi qualitates in ea collegiata simul concurrant, canonicos ad ad incunctanter compelli debere. & tægant rescriptum Domino episcopo Sarnensi.

Quando vero canonicus non residens ex iusta causa possit percipere fructus, & quas distributiones vide infra in verbo Residentia.

### ILLEGITIMI.

**P**RÆTER Summissas in hoc verbo sciendum est, quod illegitimi sunt inhabiles ad ordines, Beneficia, ad successionem bonorum, & ad ingressum religionis.

De ordinibus, & beneficijs habetur in titulo de filiis presbyt. in decre. & in 6. & quantum ad ordines remanet in antiquum intactum ut dicam infra in verbo ordo. Sed in beneficijs de iure antiquo per Constitutionem Alex. 3. poterat succedere mediate tamen per Clem. 7. fuit reuocata in anno 1533. incip. Ad canonum conditorem. fol. 339. in Bull. tenoris sequentis.

Clemens.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam  
rei memoriam.

**A**D canonum conditorem non est dubium pertinere, cum statuta a se, vel prædecessoribus suis ad animarum Christi fidelium salutem edita, propter eorum ausum qui successu temporis malitia hominum succrescente magis indies dignoscitur obesse, quam prodesse, animaduertit, ne ulterius obesse valeat, provide re. Sane postquam f. re. Alexander Papa tertius prædecessor noster filios præsertim sacerdotum in ecclesiis paternis succedere prohibuerat, eosque nihilominus, media intercedente persona filios ipsos habere disposuerat, cum passim sacerdotes in ecclesiis suis eorum filii potuerunt satagantes in Alexandri prædecessoris huiusmodi dispositione consilii ecclesias suas, quas, ad eorum peruenire filios gestiebant, in fauorem personarum, que ecclesias ipsas, etiam illarum possessione non habita, in ipsorum resignantium filios ex fornicatione genitos, illico mox resignare ipsique filii ecclesias ipsas dispensatione super defectu natalium, quem ex dictis sacerdotibus resignantibus geniti, patiebantur, etiam patris nomine expresso, obtenta consequi hactenus consueverint, profecto perniciosum semper, & abominabile, ac in grauem diuinæ maiestatis offensam tendere, videlicet quod ipsi presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non sine turpitudine ob inordinatum spuriorum filiorum amorem detegere erubescerent. Iudicauimus propterea, quod ubi tempus, quod omnia palam facit, & presentium ratio, quid in futurum cauendum sit, admonet, merito admonemur, & ad tollendum huiusmodi abusum necessario arbitrati sumus eiusdem Alexandri prædecessoris canonem corrigere, potius quam talia cum tanto hominum scandalo tolerare. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio, & vnanimi consensu auctoritate Apostolica tenore presentium statuimus, & ordinamus, quod de cetero filii presbyterorum ex fornicatione nati ecclesias Cathedrales etiam Metropolitanas ac monasteria, quibus eorum patres præfuerunt, seu illa, & illas dignitates, etiam maiores, & principales personatus, administrationes, & officia etiam curata, & electiua, & quecumque beneficia ecclesiastica cum cura, & sine cura secularia, & quorumuis ordinum regularia, que presbyteri, & clerici ac religion eorum patres in titulum, vel commendam, aut administrationem ad tempus seu in perpetuum aliquando obtinuerunt nullo vnquam improre quoquomodo obtinere possint, nec cum eis super hoc dispensare intendimus, & si quas dispensationes per nos concedi contigerit, tamquam per præoccupationem, & contra mentem nostram concessas eis nullatenus suffragari tales que dispensationes nostris volumus exulare temporibus, & quod nobis licere, non parum nostris successoribus indicamus non obstantibus præfati Alexandri prædecessoris, & alius constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ apud Sanctum et Primum anno incarnationis Domini 1533. nonas Iunii Pontificatus nostri anno septimo.

Filii illegitimi excluduntur a successione in beneficiis parentum tam mediate, quam immediate de qua meminit Rebuff. in prax benef. par. 2. sub titul. de dispen. super defectu natal. num. 24. eamque refert Nauar. in cap. si quando except. 21. de rescript. & ampliatur per Conc. Trid. sess. 25. capitul. 15. de refor. per

AA 4 quod

quod redduntur prorsus inhabiles ad obtinendum aliquod beneficium in ecclesia, in qua parentes eorum habent, vel habuerunt illud, vel aliud simile, aut dissimile, quod decretum refert, & declarat Nayar, in fine d.c. filius vero legitimus potest succedere mediate, non autem immediate cap. ad extirpandas, de fil. presb. Quantum vero attinet ad successiones bonorum, illegitimos inhabiles prorsus, & incapaces reddit Pius V. per eius Constitutionem Romae publicatam die 2. Martij 1571. in Bullar. fol. 1169. tenoris sequent.

Quae ordini ecclesiastico noxia esse & scandalum obijcere perhibentur, necesse est e medio submouere. Quod nos pro nostri muneris officio inter alia incommoda, quae in oculos nostros incurrunt de Christi peculio, ne ab indignis, & reiectis ignominiose consumatur, neue illorum causa ecclesijs, & pauperibus praeipiantur, curam praecipuam habere volentes, de nobis attributa potestatis plenitudine reuocamus, & abolemus omnia, & quaecumque priuilegia, licentias, dispensationes, & indulgentia faciendi testamenta, donationes siue inter vivos, siue causa mortis, legata, & quascunq; alias dispositiones, de dominis, terris, castris, domibus, & quibuslibet aliis bonis, & rebus immobilibus, mobilibus, & se mouentibus, nec non pecunijs, iuribus, & actionibus ex beneficijs, fructibus, pensionibus, & alijs rebus ecclesiasticis quibuscunq; confectis, acquisitis, & alias quomodocunq; provenientibus, nec non de peculio, & alijs etiam sola industria, labore, muneribus, aut quocunq; alio modo partis, cuiuscunq; qualitatis, speciei, naturae, & valoris existentibus, in quoscunq; illegitimos siue suos, siue extraneos, etiam legitimatos, eosdemque ex toto vel in parte haeredes instituendi, & substituendi, seu quod ipsi in praedictis ab intestato succedant, ceteraque huiusmodi facultates, & permissiones, ac etiam habilitationes, & capacitates succedendi in bonis, & rebus feudalibus, & emphyteoticis ab ecclesijs, monasterijs, & pijs locis profectis, quibuscunq; personis saecularibus, & quorumcumque ordinum, nec non militiarum, & hospitalium, Regularibus ac Rom. Curiae officialibus, & alijs curialibus. curiaq; ipsam sequentibus, & etiam Urbis Romae ciuib. ac palatii aedes, census, aliaq; bona in ea, ejusq; districtu habentibus, nostris quoq; & aliorum Romanorum Pontificum familiaribus, ecclesiasticis praelatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & alijs cuiuscunq; dignitatis, ordinis, & conditionis existentibus, illorumq; & alijs ecclesijs, capitulis, conuentibus, ordinibus, Militijs, Hospitalibus, collegijs, officijs, & locis, ac praedictae Urbis, alijsque ciuitatibus, prouincijs, & dominijs, & quocunq; dominis, populis, ciuib. & incolis, tam per fec. rec. Sixtum. 4. Innocentium 8. Alexandrum 6. Iulium 2. Leonem 10. Clementem 7. Paulum 3. Iulium 3. Paulum 4. Pium 4 & qui ante illos fuerunt alios quoscunq; Romanos Pontifices, ac nos, & sedem Apostolicam, eiusq; legatos etiam de latere, nuncios, Notarios, comites, collegia, officia, & loca, etiam per modum statuti perpetui, generalis legis, iurij & stipulati contractus seu quasi, & alias sub quibuscunq; tenoribus, & formis, ac cum quibusuis restitutijs, praeseruatuijs, mentis attestatijs, derogatorijs derogatorijs, alijsq; fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, ac praedictorum Cardinalium consilio, & matura deliberatione in consistorio, habita, nec non consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, etiam ob remunerationem laborum & obsequiorum nobis, & dictae sedi impensorum, refectionem damnorum, compensationem iurium cessorum vel ablatorum, nauatae militiae contra haereticos, & infideles, seu pro praedictae Urbis ornatu, & frequentatione, ac quibus

cumque

cumque alijs vsibus, ac etiam necessarijs & pijs causis concessa, & multiplicatis vi-  
 cibus confirmata, innouata, extensa, & moderata, & quancumque tempore pa-  
 cifice obseruata, quo ad eam partem, qua illegitimos praedictos tangit duntaxat,  
 etiam si illa contineant, quod omnes curiales, curiam sequentes, & alij siue ecclē-  
 siastici, etiam Cardinales, siue mundani, qui palatia, domus, & praedia urbana  
 vel rustica edificauerint, aut census, aliaue bona acq̄sierint, aut alias acq̄sita  
 habuerint in dicta Vrbe, & circum eam ad miliaria decem, ex bonis seu fructi-  
 bus ecclesiasticis, hi tales de illis nec non iuribus, & iurisdictionibus omnibus in  
 fauorem illegitimorum, aut quomodolibet inhabilium, & incapacium, siue inter  
 viuos, siue causa mortis disponere, eosque haeredes, & successores vniuersales,  
 vel particulares instituere, & substituere, & si intestati decesserint, ipsi illegitimi,  
 & incapaces in illis succedere possint, quodque per quascunque reuocationes, de-  
 rogationes, aut alias contrarias dispositiones, illis quorum interest, praediciari  
 nequeat, & si vlllo vnquam tempore praediciatum, aut derogatum, quoquo mo-  
 do apparuerit, ius quaesitum, ablatum, & litera reuocationum, & derogationum  
 huiusmodi, iuris quaesiti ablatiue censeantur. Sicque per quoscunque iudices iu-  
 dicari debeat, & etiam diffiniri: Ac pariter collimus, & abrogamus omnes, & qua-  
 scunque facultates similia concedendi, legatis nuncijs, Notarijs, comitibus, colle-  
 gijs, officijs, & alijs supradictis, quorum omnium tenores, ac si ad verbum infere-  
 rentur habemus praesentibus pro expressis, ita vt privilegiorum dispensationum,  
 facultatum, habilitationum, capacitatum, indultorum, & aliorum supradictor-  
 rum sic reuocatorum, ac etiam literarum legitimationis praetextu, nullus, omnino  
 de huiusmodi bonis, rebus, pecunijs, iuribus, iurisdictionibus, & actionibus in cō-  
 modum, & fauorem illegitimorum vtriusque sexus, siue etiam filiorum, siue con-  
 sanguinorum, affiniumue, siue extraneorum, etiam in statu saeculari procreato-  
 rum, ac legitimitati quacumque autoritate donatorum, & ad huiusmodi res, &  
 bona, eiusque successionem testato vel intestato idoneorum, & capacium effecto-  
 rum, siue testamento, siue donatione, siue legato, siue elemosyna, siue alio quo-  
 cunque titulo, & pio opere (exceptis in communi, ac omni fraude, conuentione,  
 seu compositione cessante, hospitalib, expositorum, & orphanorum) disponere  
 nec illegitimi ipsi in eis ab intestato, siue proutinus, siue per interpositas personas  
 ac quomodocunq̄ succedere, aut illa alias ad eos etiam per quemcumque cir-  
 cuitum multiplicatarum in alios capaces successionum, vlllo tempore deuenire  
 possint. Ad haec nulla esse, & pro infectis haberi volumus, omnia, & quacumque  
 facta hucusque testamento, legato, donatione, & alia disposita huiusmodi, quae  
 viuentibus adhuc testatoribus, aut alias locum non habuerunt, ac pariter ab  
 intestato, successiones, non tamen litigiosas, quae plenarium non sunt effectum  
 sortita. Dehinc vero districtius prohibemus ne talia siue in praedictos illegitimos  
 vtriusque sexus, siue in illorum coniuges siue ipsorum parentes filios, descenden-  
 tes, ascendentes, vel alios cognatos, siue viuentibus, siue defunctis visis illegiti-  
 mis, etiam paupertatis, dotis, aut alterius cuiuscumque pii operis intuitu fiant,  
 neue ipsi vnquam in rebus, bonis, pecunijs, iuribus, iurisdictionibus, & actioni-  
 bus praedictis, siue totius, siue in parte succedant, aut illa ad ipsos, quauis dispen-  
 satione suffultos, etiam per praedictum circuitum deueniant, neue de eis vlla in  
 alium, seu alios concessio, donatio, translatio, aliaue dispositio fiat, aut alia bona  
 similia, vel dissimilia, illegitimis, aut alijs supradictis concedantur. Quod si praedi-  
 ctorum quisquam fuerit praesentium violator, testamentum, donatio, legatum,  
 & dispositio omnino non teneat, nec etiam quo ad alios capaces, & res alias va-  
 leat.

leat, sicque disponens priuilegio, dispensatione, facultate & indulto prædicto eiusque usu, & commodo etiam in ceteris omnibus ipso sit iure priuatus. Nemo quantumuis capax illius prætextu fructus, res, pecunias aut prorsus alia bona sua faciat, nec illa detinens vlla præscriptione, aut vilo alio iuris præsidio adique tur, sed ad integram illorum restitutionem quocumque temporis lapsu non obstante debeat coerceri. Ita vt omnes in ecclesijs, monasterijs, & beneficijs successores, tam coniunctim, quam diuim, quisque videlicet pro rata sua, illa omni tempore recuperare possint, & qui primus ceteris ab eo monitis & negligentibus iudicium intenderit, ei soli res tota merito vendicetur. Nullis vero huiusmodi successoribus pro prædictis insistentibus, ac etiam de peculio alias quam ex rebus ecclesiasticis confecto, locorum ordinarij, tam concessorum & relictorum illegitimis, eorumque causa quam quorumcumque aliorum annorum immobilium, & se mouentium, nec non pecuniarum, fructuum, rerum, & iurium, alias sub dictis testamentis, donationibus, legatis, & dispositionibus comprehensorum, corporalem possessionem, amotis inde & expulsis quibuscumque detentoribus siue incapacibus, siue capacibus, per se vel alium seu alios, libere apprehendant & apprehensam huius sedis nomine custodiant, donec ipsa sedes de illis, vti tum tulerit piorum operum necessitas duxerit prouidendum. Bona vero res & iura feudalia, vel emphyteutica (alijs legitimis ad ea forte vocatis non existentibus) eo ipso deuoluta, & iuri ac proprietati suarum ecclesiarum, & locorum restituta, & cum reliquis eorum bonis consolidata esse declaramus. Decernentes irritum, & inane, quicquid secus per quascumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, &c.

Quam Constitutionem idem Pius V. die 5. Martij 1572. per aliam constitutionem fol. 1159. incip. Ad Romanum &c. declarauit loqui, & intelligi debere etiam de quibuscumque bonis patrimonialibus, tam mobilibus, quam immobilibus, & se mouentibus, iuribus, & actionibus quibuscumque.

*ADDITIO. Pro quarum Constitutionum maiori declaratione adest notabilis decis. Rota Romana 214 par. 2. diuersorum Aldobrandini, tunc Auditoris nunc Summi Pontificis die 29 Octob. 1584 fol. 122. vbi refert ex d. Bullæ dispositione fuisse conclusum & iudicatum, non prohiberi laicum vigore priuilegiorum disponere in illegitimos de bonis more patrimonialibus & laicalibus nullam habentibus mixturam cum bonis ab ecclesia profectis, sed Bullam comprehendere solum clericos disponentes de bonis nedum quasitis ex fructibus beneficiorum sed etiam de bonis patrimonialibus, item & laicos, quando disponderent de bonis ab ecclesia profectis, vt sunt emphyteusis, & feuda ecclesiastica, & bona quasita ex pensionibus quas laici ex priuilegio aliquando obtinent.*

Quamuis illa Pij V. constitutio reuocatoria facultatum testandi, & disponendi in illegitimos edita nimis dura lex habeatur, seruanda tamẽ est ad text. in l. prospexit. ff. qui a quibus, &c. Sed est rursus cum hac moderatione interpretanda, vna cum eiusdem conditoris declaratoria, quæ retentis eiusdem terminis constitutionis declarata intelligi debet, cum omnibus illius clausulis, vt scilicet sonent, & restringantur quo ad licentias, priuilegia, & indulta a iure speciali prouenientia, non autem a iure communi concessa in fauorem illegitimorum, tum quia sublato iure speciali regulariter non tollitur ius commune, quod vt potẽtius difficilius reuocatur, quã ius speciale ad text. in l. eius militis. §. militia nullus,

missus, ff. de milit. testam. tum quia a iure antiquo non censetur recessum, nisi quatenus in nouo exprimitur. argum. ex in l. precipimus, §. fin. vbi glossa. C. de appellat. & per hanc extrauag. nulla mentio, neque recessio a iure communi, & ideo quando fiet dispositio in illegitimos de bonis cuiuscunque qualitatis vigore alicuius facultatis, seu gratia particulariter competentis, & Sedis Apostolicae auctoritate impetrata contra, vel praeter ius commune, hoc praese intelligitur prohibitum, & reuocatur per hanc extrauag. Non autem quando Clerici saeculares in Sacris constituti, vel obtinentes beneficia Ecclesiastica, (omni dolo, & fraude cessante) in suos vel alienos spurios pauperes, & bonae conditionis, ac famae disponentes ex causa alimenterum, vel dotis quae loco alimentorum succedit, vt haec Constitutione non obstante id licite possint iuxta aequitatem Canonicam, & iuris communis dispositionem contentam in cap. cum haberet, & ibi Panor. & Card. Alex. de eo, qui dux. in matrim. quam pol. per adulter. late Anton. Gabriel. lib. 6. com. conclus. tit. de alimentis conclus. 1. cum alias resultaret iniquitas contraria naturali pietati, quae declaratio dicitur colligitur ex Nauar. in comment. de spolijs. §. 18. num. 9. & seq. quo loci hanc Pij V. extrauag. ad verbum plures ad illam adijciendo annotationes refert, & repetit ac confirmat cum eorundem argumentorum formatione in conti. 4. & 5. de testament. in nou. & fuit decisum per Rotam Rom. in dec. 485. diuers. volum. 1. quae Rota, sub num. 12. subdit, vt in tali casu disponi possit in primis tamen de bonis patrimonialibus, aut alias, quam ex beneficijs acquiritis, & in subsidium ex fructibus beneficiorum, seu pensionum &c. An vero filius Sacerdotis, siue Clerici Sacris Ordinibus insigniti valeat succedere matrim. par. 2. c. 8. §. 5. num. 17. Vrsillum in annot. ad decis. Afflicti 96. & Molinam de iustitia dis. ut. 167. sub 4. conclus.

Item declaratur, vt reuocatio, quae per hanc Pij V. constitutionem fit, non extenditur ad privilegia, seu indulta concessa ab Imperatore, Regibus, & regalia iura habentibus filijs Clericorum, quo ad facultatem capacitatis succedendi circa temporalia, extra tamen dominium temporale Papa ex Nau. in proprijs huius Bullae terminis in praesleg. conf. 3. num. 6. & 7.

Denique declaratur, vt praefata extrauag. quatenus annullat legitimationes, & vt ipsis non obstantibus excludantur etiam ipsi legitimi a iure succedendi, tanquam exorbitans, restringatur, iuxta limites, seu terminos, de quibus loquitur, & sic ad effectum tantum, ne legitimationum praetextu possint mediate, vel immediate succedere, aut alias acquirere, non autem vt censentur inhabilitati simpliciter scilicet, vt illarum vigore non possint effugere turpitudinem, & maculam, ac fieri honesti, & digni, cum ista respiciant personam, & constitutio loquitur, quo ad bona, vt praefertur, vnde tanquam penitus diuersa inductum in vno non porrigitur ad aliud, prout illam in hac parte, sic declarat Rot. Rom. in decis. 505. diuers. vol. 1.

Quo ad illegitimos volentes ingredi Religionem, & de eis iam ingressis, vide infra in verbo Monasteria, seu conuentus Regularium.

## INVENTARIUM ACTORVM.

SCIENDVM est, quod ne Sede vacante acta causarum criminalium occupentur, fuisse Pij V. constitutione præceptum omnibus Episcopis vtriusque Siciliae, vt conficiant quotannis inventarium actorum criminalium suæ Curia, fol. 1111. in Bullar. publicata Romæ die vltima Martii 1571. incip. Muneris nostri est aditum prohibere per quem salubris delictorum animaduersio perperam disturbatur. Nefarium etenim facinus in plerisque Episcopatibus Regni Siciliae citra, & vltra Pharam, audiuimus exoriri, quod Cathedralibus Ecclesijs Præsule viduatis, Vicarij Capitulis constituti, gratia, timore, odio, vel sordibus, quas volunt inquisitiones, & testimonia rerum, & causarum criminalium violant, surripiunt, & lacerant, ne delictorum cognitio, vel vindicta vsquam consequatur. Nos ad hoc malum, qua potest industria, coercendum, pro nostro officio intenti, præcipimus omnibus Archiepiscopis, & Episcopis dicti Regni, præsentibus, & futuris, vt deinceps inventarium authenticum omnium, & quarumcunque suæ Curia querelarum, accusationum, inquisitionum, denunciationum, testificationum, instrumentorum processuum, ceterorumque actorum causarum, & negotiorum criminalium, etiam mixtorum, quæ apud Curia suæ Notarium fuerint, quotannis in perpetuum conficiant, confectum, & dicti Notarij manu subscriptum penes se custodiant, donec super ijs fuerit iudicatum. Et si eos de vita decedere interim constiterit, illud vniuersum sigillo suo obsignatum, fidei Sacerdotis cui peccata confitentur, morte impendente committant, qui ea secuta protinus ipsum Prælato, ac domui, seu conuentui digniori Regularium illis Civitatis, debeat resignare, vt ab eis tute, & fideliter asseruetur, donec futurus aduenerit Præsul, cui illud itidem clausum, & integrum tribuatur. Quod ipsi stinēt per se faciant, si quando necesse habuerint peregre proficisci, illa vt illud ipsum statim cum præsentibus redierint, recipiant ab eisdem. Quicumque autem testimonia, processus, scripturas, & instrumenta huiusmodi quocunque modo violauerit, contempserit, subtraxerit, combusserit, suppresserit, aut iusserit id fieri, seu auxilium, consilium, vel fauorem præstiterit, omni sit dignitate, officio, & beneficio, præsentium auctoritate priuatus, & ad futura inhabilis eo ipso. Idem quoque, & pariter Notarios, cui quid prædictorum defuerit, aut alia deliquerit in prædictis, tam falsi reus declaratur, pœnasque omnes subeat, quæ sunt in huiusmodi rerum falsarios per sanctiones Canonicas, & constitutiones legitimas irrogata. Nulli ergo &c.

I T E M

PRÆTER Summissas sciendum est, qualiter vltra disposita in c. Iudæi el. 2. de Iudæ. & in extrauag. com. Ioan. 22. incip. dignum. eo. titul. ad maiorem declarationem extat Pauli terij constitutio, quod Iudæi, ceterique infideles ad agnitionem Catholice fidei venientes bona patrimonialia matronaliaque, & omnia eorum consuetudine acquisita, seu quæ verum domi-

dominium habere non reminiscuntur, etiam uiuis, & inuitis parentibus habere tenere & possidere valeant tenoris sequentis.

Paulus episcopus seruus seruorum Dei Ad perpetuam  
rei memoriam.

**C**vpientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem catholicam conuer-  
ti, & prætenu bonorum per eos antea possessorum ab eodem fide non  
distrahi, motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica,  
tenore præsentium, hac in posterum valitura Constituione sancimus, quod  
cuicumque eorundem Iudæorum, & infidelium ad dictam fidem conuer-  
ti volenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua qua-  
cumque tam inobilia, quam immobilia, intacta, & ilasa permane-  
ant. Ita ut etiam filijfamilias, & in patria potestate, ut præfertur  
constituti, legitima, & quacunque alia portione bonorum patrimonia-  
lium, aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliis de-  
bitorum, per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque  
debeant, sed eis integre, etiam si contra voluntatem parentum suorum  
ad fidem ipsam conuersi fuerint; etiam eorum parentibus uiuentibus,  
debeantur. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quæstu fuerint acqui-  
sita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de iure facienda resti-  
tutio, (quia non remittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum),  
illa eisdem personis omnino restituantur: personis vero non extantibus  
prædictis, qui bona ipsa essent per manus ecclesiæ in pios usus conuer-  
tenda, bona huiusmodi eisdem Iudæis, & alijs infidelibus, in fauorem  
suscepti Baptismatis, tanquam in pium usum libere concedimus: eaque  
apud ipsos sic conuersos Iudæos, & alios infideles remanere decernimus.  
Interdicentes sub diuini anathematis pœna, quibusuis, tam ecclesiasti-  
cis, quam secularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi, quo-  
uis quæsto colore molestiam inferant, aut inferri patiantur sed magnum  
se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint, ac quo-  
niam (ut scriptum est) qui habuerit substantiam mundi huius, & vi-  
derit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo,  
quomodo charitas Dei manet in ipso: si ipsi conuersionis tempore in-  
opes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quam Secula-  
res per viscera misericordie Dei nostri exhortamur, ut ipsis conuersis ma-  
nus porrigant adiutrices, ipsi quoque Diocesani, non solum Chri-  
stianos ad subueniendum ipsis exhortentur, sed etiam, tam de red-  
ditibus ecclesiæ, quam prout poterunt, quam de his, quæ ad paupe-  
rum usus per ipsos conuertos, ut depluantur huiusmodi Neophytos su-  
sultentare non negligant: ipsosque a detractionibus, & contumelijs pa-  
terna affectione defendant. Et quoniam per gratiam Baptismi ciues San-  
ctorum, & domestici Dei efficiantur, longeque dignius existit regnare spi-  
ritu, quam nasci carne, eadem constitutione statuimus, ut ciuitatum,  
& locorum, in quibus Sancto Baptismate pro tempore regenerabuntur  
vere ciues sint, & priuilegijs ac libertatibus, & immunitatibus quæ alijs ratione  
natiui.

natiuitatis, & originis dumtaxat consequitur, gaudeant. Curent in super sacer-  
dotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos suscipientes, tam ante, baptismum,  
quam post illos in articulis fidei, ac legis nouæ præceptis catholiceque ecclesie  
ritibus diligenter instruere, & tam ipsi, quam Dicecesani operam dent, ne cum  
alijs Iudæis, seu infidelibus, saltem per longum tempus conuersentur, ne, sicut  
quandoque contigit, ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam dam-  
nationem reciduiam efficiat. Et quoniam experientia teste, compertum est mu-  
tuam ipsorum Neophytorum, inter se conuersationem, ipsos in fide nostra fra-  
giliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum efficere, hortamur locorum ordina-  
rios, vt quantum pro incremento fidei uiderint expedire, curent, & studeant,  
Neophytos ipsos cū originarijs Christianis matrimonio copulare. Et prohibeat  
eisdem sub grauibus pœnis ne mortuos more Iudæorum sepeliant, aut sabbata,  
aliaque solennitates, & antiqua sectæ ritus quoquo modo obseruent, sed & Ec-  
clesias, & prædicationes, prout alij catholici frequentent, & in omnibus Chri-  
stianorum moribus se conformes reddant. Contemptores autem prædictorum  
per sacerdotes, in quorum parochijs degentes, aut alios ad quos de iure, vel anti-  
qua consuetudine, de talibus inquirere spectat, aut etiam per alios quoscumque  
dicecesanis, seu inquisitoribus hæreticæ prauitatis deferant, & inuecat, si opus  
fuerit auxilio brachii secularis, per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in  
exemplum. Et in super de his omnibus, in prouincialibus, & Synodalibus con-  
cilijs, diligens fiat inquisitio, & tam circa episcopos, & sacerdotes in præmissis ne-  
gligentes, quam ipsos Neophytos, & in fideles prædictos contemptores, opportu-  
num adhibeatur remedium.

Si quis autem cuiuscumque gradus, vel præeminentiæ fuerit, huiusmodi Neophy-  
tos, ne obseruationem ritus Christiani, & aliorum præmissorum complectantur,  
fouerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hæreticorum promulgatas, ipso fa-  
cto incurrant, Neophyti vero, si se corrigere post monitionem Canonicam negle-  
xerint, & ad vomitum Iudæizantes redire comperti sint, contra eos, tanquam per-  
fidos hæreticos, per Ordinarios locorum secundum factorum canonum instituta  
procedatur. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostoli-  
cis, ac quibusuis priuilegijs, indultis, & literis, etiam Apostolicis, seu  
etiam regijs, vel imperialibus eisdem Iudæis, vel infidelibus, quomodolibet  
concessis: quæ quatenus in detrimentum Catholice fidei, aut nominis Christiani  
seu aliquorū ex præmissis, quomodolibet vergent, & ad effectum præsentium cas-  
samus, & irritamus, ac cassa, & irrita esse decernimus: Alijs decretis, & Consti-  
tutionibus Apostolicis, quæ super præmissis sunt cõdita in suo robore duraturis, &  
vt huiusmodi Sanctæ Constitutionis iugis memoria habeatur, & ne quisquam ip-  
sius ignorantiam prætereundere possit, illam per singulas cathedrales, & collegiatis  
ecclesias, aliaque pia loca in quibus vberior erit fidelium concursus, semel in an-  
no ad minus infra diuina publicari volumus, & decernimus, & quia difficile foret  
præsentibus ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus,  
quod earundem præsentium transumptis, seu copijs etiam impressis, & manuali  
cuius Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem pro-  
fus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, vbicumque forent exhibitæ,  
vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo piscatoris die vige-  
simo primo Martij, Millesimo, quingentesimo, quadragesimo secundo, Pontifi-  
catus nostri anno octauo. Ad hanc Constitut. Pauli 3. vide Nauar. conf. 2. de iud.

Bulla

*Bulla S. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ V. super confirmatione,  
ac reualidatione Bullæ olim a Sanctæ mem. Paulo PP. IIII. contra  
Iudeos editæ.*

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**R**omanus. Pontifex Christi vicarius in terris nonnunquã ea, quæ pro zelo Religionis a ceteris Roman. Pontificibus prædecessoribus, suis concessa dicuntur, ut illibata persistat approbat, & cõfirmat, prout in domino conspicit salubriter expedire. Dudum felicitis recordationis Paulus Papa. IIII. prædecessor noster zelo fidei Christianæ motus, certum modum viuendi, & habitandi Iudæis præscripserit, prout in quadam eius constitutione, cuius tenor sequitur, & est talis videlicet. Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis absurdum, & inconueniens existat, vel Iudæi quos propria culpa perpetuæ seruituti submisit, sub prætextu quod pietas Christiana illos receptet, & eorum cohabitationem sustineat, Christianis adeo sint ingrati, ut eis pro gratia cõtumeliam reddant, & in eos pro seruitute quam illis debent, dominatus vindicare procurent, nos ad quorum notitiam, nuper deuenit eosdem Iudæos in Alma Vrbe nostra, & nonnullis S. R. E. Ciuitatibus, Terris, & locis in id insolentia prorupisse, ut non solum mixtim cum Christianis & prope eorum Ecclesias nulla intercedente habitus distinctione cohabitare, verum etiam domos in nobilioribus Ciuitatum, Terrarum, & locorum in quibus degent, vicis, & plateis conducere, & bona stabilia comparare, & possidere, ac nutrices, & ancillas, aliosque seruiantes Christianos, mercenarios habere, & diuersa alia in ignominiam, & contemptum Christiani nominis perpetrare præsumant, considerantes Ecclesiã Roman. eosdem Iudæos tolerare in testimoniu veræ fidei Christianæ, & ad hoc, ut ipsi Sedis Apostolica pietate, & benignitate allecti, errores suos tandem recognoscant, & ad verũ Catholicæ fidei lumen peruenire satagant, & propterea conuenire, ut quamdiu in eorum erroribus persistunt effectu operis recognoscant se seruos Christianos vere liberos per Iesum Christum Deum, & dominum nostrum effectos fuisse, iniquumque existere, ut filij liberæ filiis famulentur ancillæ. Volentes in præmissis quantum cum Deo possumus salubriter providere, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, tam in dicta Vrbe, quam in quibusuis alijs ipsius Roman. Ecclesiæ Ciuitatibus, Terris, & locis Iudæi omnes in vno, & eodem, ac si ille capax non fuerit in duobus, aut tribus, vel tot quot satis sint contiguus, & ab habitationibus Christianorum penitus se iunctis per nos in vrbe, & per Magistratus nostros in alijs Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis designandis vicis, ad quos vnicus tantum ingressus pateat, & quibus solum vnicus exitus deat omnino habitent. Et in singulis Ciuitatibus, Terris, & locis in quibus habitauerint vnica tantum Synagogam in loco solito habeant, nec aliam de nouo construere, aut bona immobilia possidere possint. Quinimo omnes eorum Synagogas præter vnã tantum demoliri, & deuastare ac bona immobilia, qua ad præsens possident infra tempus eis per ipsos Magistratus præfigendum Christianis vendere, & ad hoc ut pro Iudæis vbique dignoscantur, Masculi biretum, Feminae vero aliud.

aliud signum patens ita vt nullo modo celari, aut abscondi possit glauci coloris palam deferre teneantur, & astricti sint, nec super non delatione Bireti, aut alterius signi huiusmodi pretextu cuiusuis eorum gradus, vel præminentia, seu tolerantia excusari, aut per eiusdem Ecclesie Camerarium, vel Camera Apostolica Clericos, seu alias illi præsidentes personas, aut Sedis Apostolica Legatos, vel eorum vicelegatos quouis modo dispensari, aut absolui possint Nutrices quoque seu Ancillae, aut alios vtriusque sexus seruientes Christianos habere, vel eorum infantes per mulieres Christianas lactari, aut nutriti facere, seu dominicis, vel alijs de precepto Ecclesie Festis diebus in publico laborare, aut laborari facere, seu Christianos quoquomodo grauare. Aut contractus fictos, vel simulatos celebrare, seu cum ipsis Christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conuersationem habere nullatenus præsumant. Nec in libris rationum, & computorum, quæ cum Christianis pro tempore habebunt alias, quam latinis literis, & alio quam vulgari Italico sermone vti possint, & si vtantur libri huiusmodi contra Christianos nullam fidem faciant. Iudæi quoque præfati sola arte Strazzaria, seu cenciaria, vt vulgo dicitur contenti aliquam Mercaturam frumentij, vel hordei, aut aliarum rerum vsui humano necessariam facere, Et qui ex eis Medici fuerint etiam vocati, & rogati ad curam Christianorum accedere, aut illi interesse nequeant, nec se a pauperibus Christianis dominos vocari patiantur. Et menses in eorum rationibus, & computis ex Triginta diebus completis omnino conficiant, & dies qui ad numerum Triginta nõ ascenderit non pro Mensibus integris, sed solum pro tot diebus quot in effectu fuerint computentur, & iuxta ipsorum dierum numerum, & non ad rationem integri mensis eorum credita exigant, ac pignora eis pro cautione pecuniarum suarum pro tempore consignata nisi transactis prius a die quo illa eis data fuerint, Decem, & Octo integris mensibus vendere nequeant, & postquam menses prædicti effluerint, si ipsi Iudæi pignora huiusmodi venderint omnem pecuniam, quæ eorum credito super fuerit domino pignorum consignare, Et statuta Ciuitatum, Terrarum, & locorum in quibus pro tempore habitauerint fauorem Christianorum concernentia inuoluntate obseruare etiam teneantur, & si circa præmissa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti in Vrbe per nos, seu Vicarium nostrum, aut alios a nobis deputandos, ac in Ciuitatibus Terris, & locis prædictis per eosdem Magistratus, etiam tanquam rebelles, & criminis læsæ Maiestatis rei, ac a toto Populo Christiano diffidati nostri, & ipsorum Vicarii, ac deputandorum, & Magistratum arbitrio puniri possint. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis tolerantibus, seu priuilegijs, & indultis Apostolicis eisdem Iudæis per quoscuque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Sedem prædictam, aut illius Legatos, vel ipsius Romanæ Ecclesie Camerarios, & Camera Apostolica Clericos, seu alios illi Præsidentes, sub quibuscuque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatorijs aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, etiam Motu Proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de eis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alias expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent presentibus pro expressis habentes, illis alias

alias in suo robore permaneris. hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque cōtrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā nostrā sanctionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario cōtrahere. Si quis autē hoc attentare præsumpserit in indignationē omnipotentis Dei, ac Beatorū, Petri, & Pauli Apostolorū eius se noverit incursum. Dat. Romæ apud Sanctū Marcū Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Quinto, Pridie Idus Iulij Pontificatus nostri Anno Primo. Nos igitur cupientes, ut cōstitutio, statuta, & ordinationes huiusmodi perpetuis futuris tēporibus obseruētur, Motu Proprio, & ex certa nostra sciētia, & nō ad alicuius alterius nobis super hoc oblata petitionis instātiā, sed ex mera nostra deliberatione, cōstitutionē, statuta, & ordinationes huiusmodi, & pro ut illa cōcernūt omnia, & singula in dicti prædecessoris literis cōtēta, & inde secuta quæcūque auctoritate Apostolica presentium tenore approbamus, innouamus, & cōfirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ac volumus sub interminatione diuini iudicij præcipimus, & mādamus ea omnia in polleū obseruari firmiter, nō solū in Terris, & Dominis nobis subiectis, sed etiā vbiq; locorū. Et ad omne circa colorem Bireti per masculos, & signi per feminas deferēdorū huiusmodi submouendam hāsitationem, declaramus dictum colorem esse, qui vulgo giallo dicitur. Mādantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis quatenus in ciuitatibus, & Dioc. propriis præfates nostras literas publicari, & obseruari faciāt. Et omnes Principes seculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, & obsecramus per viscera misericordie Iesu Christi eisdem in remissionem peccatorum nihilominus iniungentes, quod in præmissis omnibus eisdē Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis assistant, & suum fauorem, & auxilium præstent, ac contra facientes pœnis, etiam temporalibus afficiant. Non obstantibus omnibus quæ idem Paulus Prædecessor in supradictis literis voluit nō obstare, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis per recolendā memorię Prædecessoris nostri, & Sedem Apostolicam, etiam forsan cōsistorialiter, ac per viam generalis legis, & statuti, ac in vim stipulati contractus, ex quavis etiam vigenissima, & onerosa causa, ac Motu Proprio, & ex certa sciētia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis irritantibusque, & alijs decretis quomodolibet cōcessis confirmatis, & innouatis, etiam si in eis disponeretur, & caueretur expresse quod ad delationem Bireti glauci coloris huiusmodi in itinere, ac quod non, ut præmittitur, in loco clauso habitare tenerentur, & quod bona stabilia vsque ad certam summā acquirere ac societatem cum Christiānis super rebus ad annonam spectantibus inire, ac cōuersationem cum eisdē Christi fidelibus habere, ac pignora alias quam præscripto modo distrahere, ac plures Synagogas retinere possent indulserit, aut alias quomodolibet eis dictas literas Pauli prædecessoris in fauorem Hebræorum prædictorum limitauerit. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per causas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda foret, & in eis caueatur, quod nullatenus derogari possit, illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, nec non modos, & formas ad id seruandas, pro indiuiduo seruatis habentes harū serie specialiter,

Bb

cialiter,

cialiter, & expresse derogamus. Et literas eiusdem Pauli prædecessoris, & omnia in eis contenta obseruari in omnibus, & per omnia mandamus, perinde, ac si literæ Pij similiter prædecessoris nostri non emanassent, aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem quod præsentis literæ in Cancellaria, & Acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extrauagantes perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentis ad singula quaque loca deferri, volumus, & etiam declaramus quod earum Transumptus etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibita, vel ostensa. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, in nouationis, confirmationis, decreti, præcepti, mandati, requisitionis, obsecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Sexto. Tertio decimo kal. Maii Pontificatus Nostri Anno Primo.

Visa de Curia Io. Riuetius

H. Camyn.

Cæ. Glorierius

**A N N O** a Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Sexto indictione nona, die vero prima, Mensis Maii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini Pii diuina providentia Papæ V. Anno Primo. Retroscriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis retroscriptis per nos Scipionem de Octauianis, & Io. Andream Panizzam Apostolicos Cursos.

Camillus Chetubinus Mag. Curs.

Romæ apud Antonium Bladum, Impressorem Cameralem. Anno MDLXVI.

Gregor.  
XIII.

Quod Medici Hebræi, vel infideles ad Christianorum curam non admittantur. vide infra in verbo Medicus. fol. 302.

Eiusdē.

De prædicatione faciendâ Iudæis semel in hebdomada. vide infra in verbo prædicator. fol. 400.

Clemēt.  
VIII.

Contra impia scripta, & libros Hebræorum incip. cum hebræorum malitia vide indicem librorum prohibitorum in obseruationem circa nonam regulam

Gregor.  
XIII.

Statutum de Blasphemis & flagitiis Iudæorum in quæ hæreticæ prauitatis inquisitores animaduertunt.

Publicatum Romæ die x. Iunii 1585, incip.

Gregorius

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**A**ntiqua Iudaeorum improbitas, qua diuina bonitati semper resistunt, tanto execratorius consistit in filiis, quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefarie conspirando, grauius deliquerunt: qui propterea suis effecti maioribus nequiores, proprijs sedibus expulsi, atque in omnes dispersi Orbis terrarum regiones seruitutisque perpetue mancipati, non maiorem cuiusquam ditione clementiam, quam in Christianorum Prouincijs, maxime vero in Apostolica pietatis gremio inuenerunt, quae pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepit, atque in cohabitatione una cum filijs suis sustinuit, ad veritatisque lumen allucere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessarijs inuit, iniurijs, & contumelijs prohibuit, multis denique beneficentiae suae priuilegijs communiuit: illi vero nullis beneficijs mansueti, nihilque de suo pristino scelere remittentes, Dominum nostrum Iesum Christum in caelo triumphantem adhuc in Synagogis suis, & ubique persequuntur; Christi quoque membris infensissimi non desinant in Religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis audere; quibus nos ne pietatis nostrae puritas polluat, aut a fœdis mancipijs Christo, Christianorumque nomini impune illudatur obuiare volentes statuimus, ac etiam declaramus, Inquisitores haereticae prauitatis libere procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur.

Si quis Iudaeus, aut infidelis in ijs, quae circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum unum, & aeternum Omnipotentem, Creatorem omnium visibilibus, & inuisibilibus, & similia non esse asseruerit, praedicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

Si demones inuocauerit, consuluerit, aut eorum responsa acceperit, ad illosue sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamue causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quouis impietatis obsequia praestiterit.

Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.

Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremue Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quae per se haeretica dici solent, in Christianae fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit.

Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus a fide desciderit, quamque semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudaeorum, seu aliorum infidelium ritus, caeremonias, superstitiones, vel impias sectas transferit, vel redierit, seu in haeresim aliquam inciderit, aut qui, ut Christi fidem abneget, seu in haeresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocumque praestiterit.

Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudaeis, aut infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem a fide, vel fidei instructione, aut a Sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neue regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impederit.

Si quis apostatas, hareticosue scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, com-  
 meatu iuerit, seu quouis modo eis cibaria vbiicumque prabuerit aut dona, vel  
 munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit seu associauerit,  
 vel deducendos seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces,  
 comites, seu illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestiga-  
 ri nequeant, fecerit. Quique dictos apostatas, aut hareticos scienter aliquo  
 modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, au-  
 xilium, vel fauorem, quomodolibet prestiterit.

Si libros hareticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet  
 damnatos, aut alias prohibitos tenuerit, custodierit, vel diulgauerit, vel  
 in quacumque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommoda-  
 uerit.

Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara cru-  
 cis immolatam Christum dominum ludibrio, & despectui habens, quandocum-  
 que maxime vero in Sacro Pasceus die agnum, siue ouem, aut quid aliud  
 cruci affixerit, aut appenderit, in carne conspuerit, seu quodcumque con-  
 tra ipsam fecerit.

Si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum Statuta, diuersorumque Ro-  
 manorum Pontificum prædecessorum nostrorum sanctiones adhuc retinuerit,  
 aut eas retinens die, qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpse-  
 rint, lac riuo, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel loca effundere  
 coegerit.

In quibus casibus vniuersis, & singulis omnes prædictæ prauitatis Inqui-  
 sitores omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominorum, & lo-  
 corum vniuersi Orbis Christiani Iudices in suis quemque locis perpetuo de-  
 legamus, ut super his contra Iudaos, aut Infideles quoscumque simul, vel  
 separatim; prout in causis fidei iuxta Sacrorum Canonum formam, nec non  
 Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones, diligenter inquireant, & proce-  
 cedant, & quos in aliquo, vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpa-  
 biles reppererint, in eos pro culpa modo, ac etiam pro criminum numero,  
 vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendis, flagra, remigia, etiam  
 perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant,  
 & alias de eis exempla edant, quæ sceleratos illos deterreant ab huiusmodi fla-  
 gitijs in posterum admittendis. Nos enim venerabilibus fratribus nostris  
 Sanctæ Roman. Eccles. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, nec non Pa-  
 triarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Prælati, ac etiam  
 alijs prædictis Inquisitoribus, in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipi-  
 mus, & mandamus, ut præsentis nostras literas in Ciuitatibus, & locis  
 cuique subiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, ipsasque debi-  
 tæ executioni mandari procurent. Docernentes irritum &c. Non obstanti-  
 bus &c.

**P**RÆTER Summistas sciendum est, quod Iudices, & conseruatores a Sede Apostolica deputati si in altero iurium graduati non fuerint, assessorum partibus non suspectum ab ipsis partibus, vel earum altera requisiti assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur. Leo Decimus in Concil. Gener. Lateranen. decreuit. fol. 188. in Bullar.

## I V R A M E N T V M.

**P**RÆTER Summistas in hoc verbo sciendum est, quod vltra Constitutionem Nicolai Tertij relatum in c. 1. de iureiur. in 6. extat Gregorij XIII. illius in nouatio, & aliarum sanctionum, contra iurantes, & iurare facientes illicita, impossibilia, damnosa, & Ecclesiastica libertati, ac decretis Concilii Trident. aduersantia publicata Romæ die 14. Septembris 1684. fol. 1354. in Bullar. incip. inter Apostolicas, & est sequentis tenoris.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam  
rei memoriam.

**I**nter Apostolicas, & alias canonicas sanctiones, quæ de iurifurandi religione in variis temporibus prodierunt, fel. record. Nicolaus Papa Tertius, intelligens in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine obseruari, vt cum earum prælati ad ecclesias ipsas primo accedunt, vel cum de recipiendis ibidem nouis canonicis agitur, nec præfatos admitti, nec canonicos aliter recipi in dictis ecclesiis, nisi iurato ab eis, statuta, & consuetudines ipsarum ecclesiarum, scripta, & non scripta inuolabiliter obseruare, inter laicos etiam multarum ciuitatum, castrorum, & terrarum eum consuetudinis morbum in assumendis potestatibus, Rectoribus, vel officialibus suis irrepsisse, vt ipsi potestates, & rectores, & officiales, ad huiusmodi potestarias, rectorias, & officia, nullo modo admittantur, nisi prius se, statuta ipsorum locorum clausa iurauerint seruaturos, & quia in statutis, consuetudinibusque supradictis, interdum aliqua reperiebatur illicita, seu impossibilia, vel obuiantia ecclesiastica libertati, idcirco ne sub tali generalitate iurandi sic iurantibus peccandi occasio præberetur, cum iuramentum non fuerit institutum, vt vinculum esset iniquitatis, prædictus Nicolaus Papa animarum periculis, obistere cupiens, frugifera, & salubri constitutione præcepit quibuscunque scientibus, contineri in prædictis consuetudinibus, & statutis, illicita, impossibilia, vel libertati ecclesiastica obuiantia, huiusmodi iuramenta, ab eis nullo modo præstari, & iuramenta ea intentione facienda, vel facta, vt etiam illicita, vel impossibilia, seu libertati ecclesiastica obuiantia obseruentur, cum etiã sub tali intentione præstari non possent, absque diuinæ maiestatis offensa, decreuit in huiusmodi, illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticis obuiantibus, non seruanda, quin potius pro animarum salute, si sub forma prædicta, vel simili aliquos ignorantes prædicta illicita, seu impossibilia, vel libertati ecclesiastica obuiantia iurare contingeret, ad obseruanda duntaxat licita, possibilia, & libertati ecclesiastica non obuiantia, iuramentorum intentio referri deberet, declarans iuramenta sub huiusmodi generalitate, qualitercumque, & sub quacunque verborum forma præstata, vel præstanda, ad

Bb 3 licita,

licita, possibilia, ac ecclesiastica libertati non obuiantia, duntaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per praestationem huiusmodi iuramenti non teneri. Veruntamen multi infirmi, cupidique sensus, sese in huiusmodi iuramenta cum animarum suarum periculo precipitant. Nos, quoniam haec sanctorum quoque patrum instituta, & salubri rerum ecclesiasticarum directioni aduersantur, & tanquam de radice ambitionis procedentia omne bonum in ecclesiis, rebusque publicis peruerunt, ea noue prouisionis subsidio prohibere volentes, praesentium auctoritate, innovamus praedictam constitutionem Nicolai Papae itidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu, & reprobatione huiusmodi iuramentorum promulgatas, volumusque eas ubique ab omnibus, etiam quo ad praeterita intiolabiliter obseruari, ac etiam praecipimus, & interdiciamus praelatis, canonicis, & aliis supradictis, nec non ecclesiarum Capitulis, & Monasteriorum, ceterisque conuentibus, Ciuitatum quoque, Castroium, & terrarum, Comunitatibus, & personis quacunque dignitate praeditis, ne vlla omnino iuramenta illicita impossibilia, damnoosa, vel libertati ecclesiasticae, aut decretis Concilii Tridentini obuia, siue post electiones, confirmationes, prouisiones, receptiones, admissiones, aut alios actus, ubicunque, ac quocunque tempore, etiam praetentum cuiusvis consuetudinis, quacunque tempore obseruata, quae potius corruptela est censenda, siue in genere, siue in specie praestare, reddere, vel exigere, neue super praestitis, redditis, vel exactis hucusque quaquam in iudicio, vel extra inquietare audeant quoquo modo, vel turbare, illos enim qui iuramenta illicita, impossibilia, damnoosa, vel ecclesiastica libertati, aut decretis dicti Concilii obuia, exigere contenderint, episcopos videlicet, & alios quoscunque pontificali dignitate praedictos suspendimus a diuinis, Capitula vero, & conuenus, eorumque ecclesias, & loca omnia interdicto ecclesiastico supponimus, ac singulares personas excommunicationis sententia innotamus, inhabilesque facimus ad obtenta, & alia obtinenda eo ipso, nobisque, & Romae Pontifici pro tempore existenti relaxatione suspensionis, & interdicti, nec non absolutione ab excommunicationis sententia huiusmodi perpetuo reseruamus, Decernentes eos, qui talia iuramenta scienter praestiterint, usu, & comodo rei, & gratiae cuius causa iurauerint, eo ipso priuatos esse, alios vero ignorantes, ad praestitum iuramentorum huiusmodi obseruationem minime teneri, nec non irritum, & inane quicquid secus, per quoscunque scienter, vel ignoranter attentatum est haecenus, & deinceps congerit attentari, non obstantibus praemissis, seu quibusvis praelatis Capitulis, Conuentibus, & personis praedictis, vel quibusvis aliis, communiter, vel diuisim, ab eadem sit sede indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, ceterisque contrariis quibuscunque. Et quoniam difficile nimis esset, praesentes ad omnia loca, quibus illis opus erit, perferri, volumus, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo praelati, aut personae in dignitate ecclesiasticae constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae Apud Sanctum Marcum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo quarto nonis Septembris. Pontificatus nostri anno tertio decimo. M. Car. S. Stephani. C. Glorierius. A. de Alexiis.